SIMONIS PISTORII OPPOLIENSIS SILESII

Sacrorum Epigrammatum

OCTERNIO QUINTUS.


Nobili & Ingenuo Juveni,

CLEMENTI LACHOVIO,

dicatus.

AD LECTOREM.

Si te, Lector amans, juvit legisse priora,
Hæc quoque perlectis adjicienda putes.
Non ad judicium, fateor, sunt omnia Vulgi
Condita, quod passim devius error agit.
Esse sed ad normam Veri scripta, Ipse videbis.
Si sine judicio præcoce forte leges.
Crede, nova haut semper sunt contẽnenda, sed illa
Quæ demùm a Verbo sunt aliena Dei.



RACOVIÆ,
1612.



Nobili & Generoſo Iuveni,

CLEMENTI LACHOVIO

Salutem.



EC tu mihi prætereundus es, cariſſime Lachovi; cujus Ego non ſolùm erga me amorem & obſervantiam ſingularẽ probè expertus ſum: ſed etiam ardens ac incredibile tuum, cùm in literis bonis addiſcendis, tùm verò in cognoſcenda Veritate divina, ſtudium, ab ipſa pęnè pueritia, ſatis perſpexiſſe mihi viſus fui. Nec mirere autem, poſt tamtam temporis intercapedinem, te nunc primùm his a me ornari, donarique: Nam præterquam quòd (cùm ſingulis ſingulos Octerniones dedicare decreverim) omnibus ea ex pręmisſis paucula ſimul adſcribi non potuerint; hoc etiam intervenit, quod gravioribus occupatus a ſcribendorum Epigrammatum conſuetudine hactenus omninò abſtinueram. Boni itaque conſules, etſi ſerò oblata, & præter ſpem fortaſſe tuam. Iam valebis, meque tui ſtudioſum & benevolentem, eo, quo cæpiſti, amore proſequi non deſiſtes. Czarkoviæ, 6. Ianu: 1612.

SIMON PISTORIUS.

SACRORUM EPIGRAMMATUM SIMONIS PISTORII OPPOLIENSIS SILESII Octernio Quintus.

Gratia novi Federis.

GRATIA *quamta Dei! primùm, mortalibus ipſâ*
Naturâ, ſumtis de rudiore luto.
Poſte à prognatis illo Genitore, perennis
Quem Mortis fecit vana libido reum.
Deniq́ue germanis vitiis, & crimine onuſtis
A puero, teneris pœnè vel unguiculis,
Omnigenâ pœnâ, Nobis, & verbere dignis,
Interitu dignis, ſupplicioq́ue jugi.
En! peccatorum veniam promiſit & omniũm,
Et ſua promiſit Regna beata, Deus.
Nec tantùm Verbis verax promiſit; at idem
Gnati ſancivit ſanguine Verba ſui.
O numquam Bonitas audita! vel antea viſa!
Atque Dei numquam ſat celebrandus Amor!
Ferreus, & demens! qui rurſum non amat, & quem
Cogit ad obſequium non Amor iſte Dei.
Prudens & gratus! pro tanto quisquis amore,
Huic Domino pretium reddere tale ſtudet;
Vt Vitium fugiat, Virtutem Corde ſequatur,
Et ſit amans ſanctæ Gloriæ ubique Dei.

Gratias & laudes Dei, æternas fore.

TEMPUS *erit, quando ceßabit Cultus hic omnis,*
Ceßabit totum Relligionis Opus.

Non locus his exercitiis erit amplius ullus,
Quæ nunc ex Verbis juvit habere sacris.
Sed semper laudesque Dei, gratesque manebunt;
Hoc erit ex tota Relligione super.
Felix! nunc Domino, qui Cultu ita servit in isto,
Vt numquam grates ceßet habere Deo.

Per Christum, vel in Christi nomine orare, aut gratias agere Deo, quam significationem habeat. *Ioh:* 14. *&* 16.

P ER *Christum quid sit, seu Christi in nomine Votis*
Sollicitare Deum, laude vel afficere,
Nî fallor, duplex hujus sententia dicti est,
Vtraque vera, licet utraque fortè nova:
Aut is Vota Deo per Christum, & reddit honores,
Qui, quamtum est factus Christias, ista facit.
Namque nec ille Pater, nunc exorabilis ulli est,
Nec gratum est hujus laudis aroma Deo,
Qui litat absque fide Christi, gratesque, precesque,
Nec fuerit Christi Cultor, & ejus amans.
Aut is per Christum, seu Christi in nomine Votis
Supplicat, & summum tollit in Astra Deum;
Confisus Christo, qui Verba precantia ad ipsum
Dirigit, & solum laudis honore colit.
Hunc etenim postquam rebus præfecit, & Ipsum
Pro Nobis jussit sollicitum eße Deus;
Haut alio, quàm se, generis præcepit honore
Afficere; ut Numen par cuï, par sit honos.
Nec tamen illa Deo, vel tamtum, derogat ipsi,
Sed redit ad majus gloria tamta decus.

Hic

Hic cantus novus est, Agno illi animalia, quem nunc
Astrato in Cælo; canaque Turba canunt. Apoc:5.&14.
Hoc genus est cultus, qui Nos discernit ab omni
Cultu alio, & præter quem modò nulla salus.
Dixi per Christum, seu Christi in nomine quid sit,
Laudibus, & Votis concelebrare Deum.

Christi exaltatione, nihil excellentius, nihil majus, diviniúsve.

MULTA *Dei quamvis Opera, & sint maxima, cunctis*
Hoc Unum præstat maximitate tamen;
Quod mortalem Hominem, truculentâ morte peremtũ,
Quem jam sustulerat terrea Mater humus,
Manibus ereptum produxit, & imbuit aurâ
Vivificâ, postquam tertia vénit Eos.
Quòd Terra ablatum, quod erat mortale relicto,
Immortalem Astris intulit ille suis.
Quodque Deum fecit nostrum, Dominumque potentem,
Omnipotente gerit qui modò cuncta manu
Illius Imperio subsunt, seu quotquot Olympus,
Seu nigra Spirituum Tartara quotquot habent.
Ius Vitæ est illi, jus diræ Mortis & illi est,
Atque in Avernales jus habet ille domos.
Is dare Cuncta potest, quæ magnus continet Æther,
Quæ capit hæc Tellus & dare Cuncta potest.
Is mala cuncta potest humanæ immittere Genti,
Seu mala quæ nunc sunt, sive futura mala.
Et cælum, & Terras, Pontumq;, Erebumq; profundum,
His contenta simul singula, & omnia habet.

Et Cælum, & Terras, Pontumq;, Erebumq; potentem,
Omnia fatali destruet ista die.
Tamta Homini Christo commißa potentia rerum,
Tamta illi à summo tradita cura Deo.
Vt nil, si Iovam excipias, sit ubique relictum,
Quod non sub pedibus sentiat ille suis.
Vnicus hinc Dominus noster cluit, & Deus idem,
Hinc Servatoris nobile nomen habet.
Hinc & habenda Fides illi est, hinc Cultus, & ipse
Divinus Christo contribuendus honor.
Cedite facta Dei! Miracula cedite cuncta!
Nil uno hoc Cælum majus, & Orbis habet.
Magna quidem res est immensi fabrica Mundi,
Maxima quæ summus fecit & ante Deus.
Hoc unum ad facinus collata sed, Omnia nil sunt
Relliqua; nam finem sunt habitura suum.
Tale Deo dignum est, quod perpetuale, suique
Arguit auctorem quod satis eße Deum.
Hoc unum Factum, Factum mirabile solum
Pænè fide majus nostra, acieque animi.
Panditur hoc Facto, Prudentia summa, Potestas
Summa Dei, summus proditur ejus Amor;
Quàm nos Mortales norit superaddere Divis,
Hoc uno Facto noscere ritè potes.
Reddere quàm poßit Mortales Numine dignos
Cælesti, ante oculos hoc tibi ponit Opus.
Denique quàm cupiat Mortales, inter habere
Cælicolas, Facto hoc sit tibi certa fides.
Gratia IOVA *tibi! quòd Nos adamaveris ultrò*
Tàm validè miserum, terrigenumque Genus.

Gloria IOVA tibi! nimiùm veracia Nobis
Quòd tua firmaris tàm benè Pollicita.
At tu magna Dei Soboles Homo-dive Redemtor,
Qui nostri caußâ, pro ratione, tuâ
Omnia cunctipotens moderaris, ô! omnia, Christe,
Commendata rogo sint Bona nostra tibi.
A nobis Hostes veræ pietatis abarce,
Et purga a Falso Relligionis Opus.
Nostraq̀ue divino præcordia perluc Flatu,
Vt cognoscamus dulce Salutis iter.
Ac ut, seu vivi, seu fato deniq̀ue functi,
Per Te ducamur PATRIS ad ora Tui.

Gratis oblatam Salutem, non dari sine interveniente nostrâ obedientiâ.

PROMISIT *Nobis æternam,* IOVA, *salutem,*
Caußa hujus Christum jussit & ille mori.
Hanc offert Nobis, & promovet ipsius eamdem
Nunc quoq̀ue; cuncta facit, quæ facienda Deo.
Iure suo, tamtam non vult tamen ille salutem,
Absq̀ue omni Nobis conditione dare.
Corde fidem poscit tribui sibi, poscit amorem,
Morem ritè geri poscit & ille sibi.
Arduaq̀ue sitq̀ue licet res hæc, tamen eße Salutis
Haut aliâ compos tu rationè potes.
Sic statuit prudens; ut nec possit sine sese,
Nec sine te peragi tale salutis Opus.
Insipidus! qui tale Bonum, tamtùmq̀ue Iehovæ
Donari nobis absq̀ue labore putat.

Quæ res maximè moveat, aut impellat, ad Virtutis ſtudium.

Quid ſit quod faciat ſanctæ Pietatis amantem,
Eſt ratio diſpar, cauſſa nec una datur.
Sunt qui pœnarum vario terrore, minisque
Ingenerare ſtudent Relligionis Opus.
Hinc tonat horrendum Moſes, & pagina Legis
Incutit ingentes, perpetuosque metus.
Hinc audis toties, toties commenta legisque
Théologûm magnis pænè referta libris;
Neſcio quas furias, & Purgatoria ſæva,
Vltima poſt pravos fata manere Viros.
Scilicet hâc ipſis Populum formidine pœnæ
Cultores Recti reddere cura ſubeſt.
Additur his Cultus varius, diſtinctaque multis
Relligio formis, innumerisque ſacris.
Vt Turbis cauſſæ totidem Pietatis adeſſent,
Proſtarent ritus quotquot ubique novi.
Sed nihil iſta juvant; immò horum acceſſio quamtò
Major, Iniquorum major & ipſa ſeges.
Pœnæ formido, peccati, ad tempus, ab actu,
Deterrere poteſt, & revocare Malos.
Externi ritus, ac obſervatio Cultûs,
Qualis ab humanâ traditione venit,
Vtilius vanam (res certa) Superſtitionem,
Quàm prohibiti odium Criminis illa parit.
Pol, obſervantem Recti, Vitæque probatæ
Res ſectatorem reddere neutra poteſt.

At qui spe grandisque Boni, certique futuri,
Demulcent animos, duraque Corda Virûm,
Quale revelari jussit Mortalibus ægris,
Eximio nostri motus amore Deus;
Cujus firmandi mala plurima, magnaque caußâ,
Christus ad infamem pertulit usque Necem;
Quod morte exemptus, summoque locatus Olympo
Possidet, & cujus jam dator ille Boni est.
Hos profectu aliquis sapientiùs inferat esse
Ingreßos veram prosperiore viam.
Æternæ quisquis perceptà voce Salutis,
Visâ promißi speque tenace Boni,
Non tamen ante-actæ Vitæ, scelerumque perosus
Virtutis posthac efficiatur amans.
Aut nihil hunc merito sensus communis habere,
Et dicam bardum, degeneremque nimis,
Aut longè immersum Vitiis, mirisque putabo
Implicitum laqueis, dæmonis arte, Virum.
Ad frugem quisquis Vitæ immortalis amore
Non redit, hunc ratio non juvat ulla magis.

Metaphora Panis & Aquæ apud Christum.
Ioh: 4. & 6.

CORPORIBUS *nostris quod sunt, & Panis, & Vnda,*
Vsibus humanis à Genitore data;
Hoc Christi verbum, res &, quas continet illud,
Effectu nostris sunt animabus idem.
Comprimitur nam dira fames ceu pane comesto,
Sedaturque hausto torrida fonte sitis:

Sic quoque promissæ divina voce salutis,
A PATRE *quam Christus protulit ille suo,*
Pectore susceptâ, masticataque frequenter,
Sistitur ille cibi spiritualis amor.
Nam summi mens nostra Boni cupidissima semper,
Non ultrà quo jam progrediatur habet.

Modum salvandi homines, sapientia, & æquitate Dei esse plenissimum.

SI IOVÆ *facto Sapientia lucet in ullo,*
Conspicua in nostra est illa salute nimis.
Ille ob non-visum Cæleste Bonumque futurum,
Servire sanctâ vult ratione sibi.
Quæ sunt ante pedes, mandat contemnere cuncta,
Quæ pulchra adspectu vanus hic Orbis habet.
Immò per angustas res, & discrimina mille,
Perque crucem infamem tendere ad Astra jubet.
Improbus, addictus Mundanis rebus & istis,
Ridet, ut insipidum tale salutis iter.
At bonus, & simplex veræ Virtutis amator,
Adprobat, & sequitur tale salutis iter.
Sic Homines segregat; reddendi justa cuivis
Præmia pro meritis sic datur ansa Deo.

Christi Iugum, quo respectu grave, aut leve. *Mat:11.*

DIUM *Dogmatuum, si quis consideret illud,*
Demtis Promissis, est grave, Christe, Iugum.
Adhibitis rursum, si quis consideret ipsum,
Sanctis Pollicitis, est leve, Christe, jugum.
Fac tua gustemus Promissa perennia! Nobis
Vt leve, Christe, tuum, sitque suave Iugum!

In alio corpore resurrecturi. 1. *Cor: 15.*
2. *Cor: 5. Philip: 3.*

CORPORIS *hæc moles, quam nunc gestamus, onusta*
Ossibus innumeris, sanguine, carne, cute.
In Chaos antiquum, rursum resoluta redibit,
Parque erit hæc terræ semper, ut ante fuit.
Conveniens animis verùm Cælestibus olim
Immortale pius corpus habebit Homo.
Quale gerit Christus nunc, aut rerum optimus auctor,
Quale Deus cuncto tempore solus habet.
Mortalis Regio est quam nunc habitamus, & hinc est,
Quòd Nos mortales hîc decet esse Viros.
Quos expectamus, Cæli, sedesque beatæ,
Nil hujus nostræ conditionis habent.
Cælestes animas, ac immortalia tamtùm
Corpora, inaccessi luminis Astra fovent.
Corporis exuvias istas rellinquo libenter,
Tu modò cælestem da mihi Christe domum!

Immortalia optanda. 1 *Ioh: 2.*

SI *te delectant Nummi, si vana Voluptas,*
Si Mundi fallax, nec diuturnus honos.
Infelix animi es: Nam nec te cura fatigat
Ulla Dei, nec te Numinis urit amor.
Nec te delectant Bona vera carentia fine,
Maxima quæ summi continet Aula Dei.
Ut sunt diversa hæc Bona, conditione, locoque,
Nemo capax horum sic simul esse potest.
Et Mundus perit hic, & amans Mundana peribit;
Cui curæ Virtus perpetuò Ille manet.

In Cælo thesaurus reponendus. *Mat:6. & 25.*

OMNIA *sunt Hominum dubio pendentia casu,*
Qualibet ex caussa parta labore ruunt.
Frustrâ servatam fur callidus auferet arcam,
Congestas rapiet miles iniquus opes.
Absumet Patrios admota favilla Penates,
Merce gravem fallax obruet unda ratem.
Caussidicus tollet per fanda, nefanda: negabit
Sortem cum fructu debitor ipse suo.
Aut ipsum breviter consumens omnia Tempus,
Æterno exitio cetera cuncta dabit.
Extra fortunam est, extraque pericula cuncta,
Quod datur in Christi nomine Pauperibus.
In sanctos horum quicquid convertitur usus
Id tamtùm, interitum nescit habere suum.
Nam datur hoc soli, qui possidet Omnia Christo,
Qui dare cum multo fenore plura potest.
Da tua, dùm tua sunt aliis! has, judice Christo,
Quas dederis solas semper habebis Opes.

Novum Christi de diligendis Fratribus Præceptum. *Ioh:13. & 15. 1. Ioh:3.*

DILIGERE *ante alios Fratrem, Vitam ejus ad usum*
Non detrectari ponere, si sit opus;
Grandis caussa subest Mandatum Christe, quòd istud
Dicis & esse Novum, dicis & esse Tuum.
Hujus enim tamti Tu primus es Auctor amoris,
Exemplum primus das in amore tuum.
Namque Tuis, quos Tu redamas, bene semper ut esset.
Fundere dilectam non dubitasti Animam.

O amor! ô bonitas! audita, vel antea numquam
Visa, ô, Doctorum nobile, Christe, decus!
Ejus ad exemplum Fratres adamare suësce,
Quisquis germanus Christias eße velis.
Non alio melius dignosci namque potißunt,
A Doctorum aliis, stigmate, Discipulis.

Evidens Christi a Deo missionis argumẽtũ. *Ioh:17.*

Q u ò d *Cælestis erat Christi Legatio, & ejus*
Quòd Doctrina Orbi tradita, dia fuit;
Ex hoc vel facilè est Hominum cognoscere amorem,
Quo I o v a m, *ac sese mutuò amare solent.*
Quî I o v a m *haut visum Mortalis amare potißit,*
Quî dives vilem mutuò amare velit?
Nî vis quædam insit dictis divina, negatum
Naturæ suadet quæ facere istud opus.
Non est humanum, non est (mihi crede) reapse
Fratrem contemptum diligere, atque Deum!

Præmium Pietatis in cælis.

S a n c t i o r *in Terris Christo, nec promptior ullus*
Ad sanandum ægros, utiliorvé fuit.
Et tamen invisus cunctis, Crucis actus in altum
Virtutis pretium posteà tale tulit.
Quisquis, ad exemplum Christi, sectator honesti
Utilis in Terris, omnibus eße studes.
Desine condignos hominum sperare favores,
Desine pro meritis præmia vera tuis.
Qualia sed posthac immensis Christus in Astris,
I o v â *propitio dante, brabea tulit.*
Te quoque, in incepto si perstas optimus eße,
Eôdem propitio talia dante manent.

Ratio salutis humanæ, ubi caussæ & effecta Passionis ac Mortis Christi exponuntur.

QUAMTUS Amor magni, Patiētia quámta IEHOVÆ,
Mortales erga, Terrigenumque Genus!
Non tamtùm ignovit nostris lenißimus ausis,
Et veniæ admißi fecit habere locum;
Ipsam divinam verùm sperare salutem,
Æternæ Mortis, jußit & ille, reos.
Adde, spei quòd ut accederet non irrita tamtæ,
(O res mira, Dei Consiliumque!) fides;
Vnigenam tot acerba pati, tot ferre dolores,
Et voluit diram mortis adire Crucem.
Tàm grandis si nuda Boni Promißio forsan
Efficeret tardam, difficilemque fidem;
Funus atrox Christi ratione valentius omni,
Præstaret facilem cuique, citamque fidem.
Si quis enim, caußas expendat mente profundâ,
Effectus hujus percipiatque Necis.
Magna suæ fidei mox argumenta videbit,
Et factæ vires sentiet ille spei.
Non furor, aut odium nostri, sed amica voluntas,
Propensique in nos Gratia larga Dei,
Exhibiti Christi, tamtisque laboribus, atque
Proxpositi tamtæ, caußa fuêre, Neci.
Emißæ Vitæ certißimus esset ut auctor,
Tàm magnisque foret rebus ut ampla fides;
Non detrectavit sanguen profundere Christus,
Vnde cruor dictus Federis ille novi est.
Nec tamen incaßum mala, fataque tamta tulisti
Christe, sed effectus hos peperêre tibi.

Vix ter Eos rediit, cùm tu redivivus in auras,
Tamtæ exantlato molis agone, redis.
Dicta fides tua consequitur; namque ipse docebas
Sæpè, revicturum te fore, Patris ope.
Te Pater inde datâ specie tibi Numinis idem
Regem ex his Terris ad sua Regna tulit.
Idem divinæ tibi Majestatis honorem
Addidit, & socium nomen habere dedit.
Quicquid habet Cælum, quodcunque habitabile Tellus
Sustinet, hoc dextræ contulit omne tuæ.
Spirituum cunctus, nec non exercitus omnis
Terrigenûm, Imperio subjacet ille tuo.
Iura, potestatemque Necis, Vitæque beatæ,
Et jus Auraï spiritualis habes.
Hinc quoque divinis celebraris honoribus, Orbis
Quâ patet, immensus quâ patet ipse Polus.
Hinc fidit tibi sancta tui Gens nominis hæres,
Constanter dictis paret & illa tuis.
O immensa Dei sapientia, summa Potestas,
Fine carens Bonitas limitibusque suis!
Qui novit, potuit, voluitque e semine cretum
Mortali, ereptum Morte trucique Virum,
Ad tamtas fasces, fastigia summaque tamta
Evehere, & sibimet reddere pænè parem.
Hinc laus quamta Dei Facto, hinc solamen ab isto
Quamtum Christigenis omnibus estque datum!
Non hominis tantùm, cui vocis parva facultas,
Verùm immortalis lingua referre nequit.
Hi sunt effectus igitur jam Funeris hujus,
Hoc caput & tamti caussa laboris erat.

Queis ritè expensis, nondum si tradita speras
A Christo, præstas pollicitisque fidem;
Aut es nullus homo, sed bestia, sensibus orbus;
Aut es amans pravi, nequitiæque comes.

Doctrinâ Evangelii revelatâ, locum esse judiciorum Dei. *Ioh: 3.*

HOC *Evangelium quo cepit in Orbe doceri*
Tempore, & Hæretici quo nisi Sacra crepant.
Ritibus ablatis, quos instituêre Priores,
Amotis festis, quæ posuêre, statis.
Semper ab hoc longè jam deteriora sequuntur,
Sic Populus passim Pontificalis ait.
Ipse nec inficior, quod ait, verum esse, sed horum
Caussam Evangelium fortiter esse nego.
Namque Evangelio ceu nil divinius usquam est,
Sic nihil utilius totus hic Orbis habet.
Caussa sed est hominum Genus ipsum, ingrataq; Turba,
Quæ spernit magni Munera tamta Dei.
Cælica, Christus ait, lux ipsum venit in Orbem,
At tenebras homines lumine pluris habent.
Rejiciunt Evangelium, nec vivere curant,
Ad sancta illius Iussa, jube· e Deo.
Atque hæc tamtorum caput e[illegible], & origo malorum,
Hæc est judicii caussaque fonsque Dei.

